BIBLIA LATINA, BD. 1

Salzburg (?), 2. Viertel 14. Jh.

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8250
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

absconderunt superbi laqueum michi. Considerabam ad dexteram et videbam et non erat qui cognosceret me. Periit fuga a me et non est qui requirat animam meam. Clamavi ad te domine dixi tu es spes mea portio mea in terra viventium. Intende ad deprecationem meam quia humiliatus sum nimis. Libera me a persequentibus me quia confortati sunt super me. Educ de custodia animam meam ad confitendum nomini tuo me expectant iusti donec retribuas michi.

Domine exaudi orationem meam auribus percipe obsecrationem meam in veritate tua exaudi me in tua iustitia. Et non intres in iudicium cum servo tuo quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Quia persecutus est inimicus animam meam humiliavit in terra vitam meam. Collocavit me in obscuris sicut mortuos seculi et anxiatus est super me spiritus meus in me turbatum est cor meum. Memor fui dierum antiquorum meditatus sum in omnibus tuis et in factis manuum tuarum meditabar. Expandi manus meas ad te anima mea sicut terra sine aqua tibi. Velociter exaudi me domine defecit spiritus meus. Non avertas faciem tuam a me et similis ero descendentibus in lacum. Auditam fac michi mane misericordiam tuam quia in te speravi. Notam fac […] mi viam in qua ambulem quia […] ad te levavi animam meam. Eripe me de inimicis meis domine ad te confugi doce me facere voluntatem tuam quia deus meus es tu. Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam propter nomen tuum domine vivificabis me in equitate tua. Educes de tribulatione animam meam et in misericordia tua disperdes inimicos meos. Et perdes omnes qui tribulant animam meam quoniam ego servus tuus sum.

Benedictus dominus deus meus qui docet manus meas ad prelium et digitos meos ad bellum. Misericordia mea et refugium meum susceptor meus et liberator meus. Protector meus et in ipso speravi qui subdis populum meum sub me. Domine quid est homo quia innotuisti ei aut filius hominis quia reputas eum. Homo vanitati similis factus est dies eius sicut umbra pretereunt. Domine inclina celos tuos et descende tange montes et fumigabunt. Fulgura choruscationem et dissipabis eos emitte sagittas tuas et conturbabis eos. Emitte manum tuam de alto eripe me et libera me de aquis multis et de manu filiorum alienorum. Quorum os locutum est vanitatem et dextera eorum dextera iniquitatis. Deus canticum novum cantabo tibi in psalterio decachordo psallam tibi. Qui